



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. V. Corollaria præcedentis doctrinæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

virtutum non sunt meritoria vite æternæ, nisi ex charitatis imperio. Unde D. Augustinus de spiritu & littera cap. 14. cum dixisset *Mandatum non servari* (utique fructuose) *nisi fiat ex amore iustitiae*, rationem subiungit, dicens: *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et ad id probandum adducit illud Apostoli ad Galat. 5. *In Christo i. esu neque circumcisio alicui valet, neque preputium, sed fides qua per charitatem operatur.* Item in Scriptura ipsa patientia martyrij, quæ est actus præstantissimus fortitudinis, non coronatur, nisi ratione dilectionis: dicitur enim Jacobi 1. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deûs diligentibus se:* ubi promissio mercedis non fit patientibus, sed diligentibus. Similiter 1. ad Corinth. 2. bona seu dona invisibilia gloriæ cœlestis dicuntur præparata soli charitati: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum.* Cui consonat oratio illa Ecclesiæ, Dominica 3. post octavas Trinit. *Deus qui diligentibus de bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut se in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur.* Denique Apocal. 21. Angelus mensuram arundineam auream metitur portas, & murum cœlestis Jerusalem, ut per hoc significaret charitatem esse mensuram gloriæ essentialis, & gradus luminis gloriæ commensurari gradibus charitatis: juxta illud Augustini lib. 83. questionum, quæst. 46. *Anima quantum charitati adhaerescit, tantum lumine gloriæ illustrabitur.* Cujus vestigis inhaerens Angelicus Doctor 1. p. quæst. 12. artic. 6. super articulo ait: *Plus participabis de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.*

§. V.

Corollaria præcedentis doctrine.

166. **E**X dictis inferes primò, in actibus virtutum infusarum, & acquisitarum, cum ex charitatis imperio procedunt, distinguendam esse duplicem bonitatem; unam quæ ipsis competit ex vi propriæ linear, per ordinem ad proprium & connaturale objectum; & aliam quam habent ex charitate derivatam, per quam ordinantur in finem ultimum. In prima bonitas fundatur meritum præmij accidentalis; in secunda verò meritum præmij essentialis, ut ostensum est. Quare si essent duo homines, quorum unus per actum remissum charitatis pateretur martyrium, alter verò per intensiorem actum daret potum aquæ frigide, iste magis mereretur de præmio essentiali, alter verò consequeretur majus præmium accidentale, haberet enim aureolam martyrij, quæ isti non daretur. Unde Chrysostomus super illud Marci 9. *Quisquis dederit vobis calicem aque in nomine meo, non perdet mercedem suam,* relatus à D. Thoma in catena aurea, sic ait: *Non pretium dati, sed affectus dantium, facit opus dignum mercede.* Aliqui etiam existimant, cum qui continuat per aliquod tempus, aut multiplicat actus virtutum infusarum, vel acquisitarum, etiam ex imperio charitatis, & non elicit actus intensiores illius, mereri quidem majus præmium accidentale, non tamen majus præmium essentialis, sed idè pluribus ritualis: ex quo habebit specialem glo-

A riam accidentalem supra alios, qui non ita multiplicarunt aut continuarunt charitatis actus. Cui sententiæ favere videtur D. Thomas locis citatis, & S. Vincentius Ferrerius serm. 4. in septuagesima, ubi hæc habet: *Meritum essentialis seu principale non computatur secundum multiplicationem operum, vel durationem temporis, sed majorem charitatem, juxta illud Augustini: Non numero sitas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas, majorque voluntas, auget premium.* Hanc doctrinam si bene considerarent tepidi, melius sibi caverent, & in actus ferventiores charitatis prorumpentes, non ornandæ solum quibuldā gaudiorum accidentalium flosculis coronæ, sed essentiali præmio ampliando & augendo diligentius studerent.

B Inferes secundò, quod si aliquis post acceptam gratiam in sacramento penitentiae cum sola attritione, eliciat actum alicujus virtutis acquisitæ, vel infusæ, temperantiæ v.g. vel religionis, & moriatur statim, antequam actum charitatis eliciat, non obtinebit gloriam essentialis ex meritis, & titulo præmij, sed duntaxat titulo hereditatis, in quantum erit filius Dei adoptivus per gratiam: cum enim charitas sit radix meriti vite æternæ, seu præmij essentialis, repugnat dari tale meritum, nisi aliquis ejus actus præsupponatur. Habebit tamen ratione illorum actuum gloriam aliquam accidentalem, quia sicut omnis actus malus aliquā penam ponitur, ita & omnis bonus aliquo præmio, saltem accidentali, remuneratur.

C Inferes tertio, actus aliarum virtutum, quantumcumque perfectos, vel intensos, non mereri augmentum gratiæ & charitatis, nisi à charitate, virtualiter saltem, imperati sint: cum enim præmium essentialis patriæ, in clara Dei visione consistens, intensiori gratiæ & charitatis proportionetur & adequetur, eodem modo philosophandum est de merito augmenti gratiæ & charitatis, ac de merito præmij essentialis: unde si actus aliarum virtutum præmium essentialis mereri nequeant, nisi à charitate, virtualiter saltem, imperentur, non poterunt etiam, sine ejus imperio, augmentum gratiæ & charitatis promereri.

D Inferes quartò, virtutes morales infusæ non posse augeri, nisi etiam charitas augeatur. Ratio est, quia voluntas non potest ferri intensius in media, nisi etiam intensius feratur circa finem; cum finis sit ratio volendi & eligendi media ad ipsum conducentia: Sed virtutes morales infusæ versantur circa media, charitas verò attingit ultimum finem, qui est objectum specificativum illius, ut supra declaravimus: Ergo repugnat virtutes infusæ augeri, nisi etiam habitus charitatis intendatur. Unde actus virtutum moralium infusarum includunt imperium charitatis, & sine illo esse nequeunt, ut colligitur ex D. Thoma supra quæst. 65. art. 2. ubi docet omnes virtutes morales infusæ esse connexas charitati, sicut acquisitæ sunt connexæ prudentiæ: Ergo sicut nullus est actus virtutis acquisitæ, qui judicium prudentiale, non involvat, aut supponat; ita nullus est actus virtutis moralis infusæ, qui non includat, aut supponat charitatis imperium; quare idem S. Doctor 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. ait: *Martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.*

E Ex hoc corollario solum manet præcipuum fundamentum alicujus Recentioris, qui contra nostram

nostram conclusionem sic arguit: Iustus eliciens A
actum temperantiae infusus v.g. meretur de con-
digno eius augmentum, imò si sit intensior habi-
tudo præexistente est ultima dispositio ad eius aug-
mentum: Ergo etiam meretur de condigno aug-
mentum gratiae & charitatis, & per consequens
vitae aeternae, & praemii essentialis. Probatur con-
sequentia: Aucta proprietate, non potest non
augeri essentia, & contra: Sed virtutes morales
infusae sunt proprietates gratiae sanctificantis: Er-
go aucta virtute morali infusa, debet etiam gratia
habitudo augeri.

Ad hoc, inquam, fundamentum solutio patet
ex jam dictis: Antecedens enim distinguendum
est: iustus eliciens actum temperantiae infusae in-
tensorem habitu, meretur eius augmentum,
ratione imperij charitatis in tali actu virtuali-
ter inclusi vel ad illum praesuppositi, concedo
Antecedens: secluso imperio formali, vel sal-
tem virtuali charitatis, nego Antecedens. Simi-
liter distinguo Consequens: Ergo meretur etiam
augmentum gratiae & charitatis, ratione imperij,
charitatis, concedo secluso, vel praefixo tali im-
perio, nego. Alia argumenta §. sequenti solven-
tur.

§. VI.

Diluuntur fundamenta aduersae sententiae.

Obijciens primò: Actus eliciti à virtutibus
infusis, siue moralibus, siue Theologicis,
secluso imperio charitatis, habent omnes condi-
tiones ad merendum requisitas, siue ex parte per-
sonae merentis, siue ex parte ipsius actus merito-
rij: in primis enim sunt actus hominis iusti, &
victoris, ut supponimus: deinde hi actus sunt
veritatis, ut patet, & supponuntur esse liberi
sunt etiam supernaturales quoad substantiam,
cum eliciantur ab habitibus infusis & supernatu-
ralibus, propter motum supernaturalem: deni-
que, cum illi actus à Deo ut auctore supernatu-
rali procedant, ad ipsum ut finem ultimum su-
pernaturalem tendunt & referuntur; nam ulti-
mus finis semper proportionatur primo agentis:
Ergo tales actus, etsi à charitate non imperen-
tur, sunt meritorij vitae aeternae, & praemii essen-
tialis, & non solum accidentalis.

Confirmatur: Omnis actus qui procedit à
gratia habituali sanctificante, est meritorius vi-
tae aeternae, positis praedictis conditionibus, gra-
tia enim dignificat tam subiectum in quo est,
quam operationes ejus quae ab ipsa proce-
dunt: Sed actus eliciti à virtutibus infusis,
procedunt à gratia habituali sanctificante; cum
enim omnes virtutes infusae emanent à gratia,
sicut proprietates ab essentia, ipsa gratia opera-
tur medijs omnibus illis, eo modo quo essen-
tia medijs suis proprietatibus activis, scilicet
potentis: Ergo tales actus sunt meritorij vitae
aeternae.

Confirmatur ampliùs: Ad meritum de condi-
gno sufficit quod habeat proportionem cum pra-
mio: Sed omne opus gratiae habet proportio-
nem cum vita aeterna: Ergo de condigno illam
meretur. Minor probatur: Motus cujuslibet na-
turae habet proportionem ad finem illius, sicut
motus gravium & levium est proportionatus ad
fines ipsorum, & illa ad centrum perducit: Sed
proprius finis gratiae est vita aeterna, unde Ioan.
4. gratia vocatur *fontis aquae salientis in vitam
aeternam*: Ergo omnis motus gratiae est propor-

Tem IV.

tionatus cum vita aeterna, & ad illam hominem
perducit.

Ad objectionem respondeo, actibus elicitis à
virtutibus infusis, secundum se spectatis, & pra-
cisco charitatis imperio, deesse unam & praeci-
pua conditionem, ad meritum de condigno
vitae aeternae requisitam, nimirum perfectam re-
lationem & tendentiam in Deum ut finem ulti-
mum supernaturalem: licet enim ex natura sua,
& ex eo quod à virtutibus supernaturalibus & in-
fusis procedunt, ad ultimum finem superatura-
lem ordinantur, haec tamen ordinatio est imper-
fecta; & enim ordinatio generalissima, quae om-
nia pertinentia ad unum genus, in finem illius
quomodocumque tendunt, & veluti quaedam
exigentia, quae ex natura sua postulant in finem
ultimum supernaturalem per charitatem perfecte
referri. Unde in hoc distinguuntur actus virtutum
moralium infusarum ab actibus virtutum mora-
lium acquiratarum, quod isti solum habent po-
tentiam obedientialem, ut in ultimum finem su-
pernaturalem per charitatem ordinentur, illi verò
ad hoc proximam & connaturalem capacitatem
& exigentiam habent.

Ad hoc quod meritum dicit ordinem explicitum
ad praemium illi, correspondens, & refertur in
bonum & obsequium praemiantis: actus verò à
virtutibus infusis eliciti, implicite solum ad
Deum ut finem ultimum supernaturalem refe-
runtur, quatenus scilicet explicitè proprium ob-
jectum respiciunt, quod tanquam finis particu-
laris & proximus sub fine ultimo universali con-
tinetur: illi etiam bonum divinum, seu Deum ut
in se bonum, proprie non respiciunt, sed illum
sub ratione veri, vel quatenus est bonum no-
strum, aut prima regula totius honestatis &
bonitatis moralis, attingunt, ut in ultima ratione
nostrae conclusionis expendimus; unde praeter
hanc relationem implicitam & imperfectam,
aliam explicitam & perfectiorem exigunt, ut sint
meritorij de condigno vitae aeternae, & debent in
bonum & obsequium Dei formaliter, aut saltem
virtualiter, per charitatem referri.

Ad primam confirmationem, concessa Majori,
distinguo Minorem: Actus eliciti à virtutibus
infusis, procedunt à gratia sanctificante, median-
te charitatis imperio, concedo Minorem: inde-
pendenter ab imperio charitatis, nego Minorem.
Similiter distinguo Consequens: Ergo
sunt meritorij vitae aeternae, mediante imperio
charitatis, concedo: secluso charitatis imperio
formali, aut virtuali, nego. Solutio patet ex
dictis corollar. 4. ibi enim ex D. Thoma ostendimus,
nullum esse actum virtutis moralis infusae,
qui non includat, vel supponat charitatis impe-
rium; quia omnes virtutes morales infusae sunt
connexae charitati, sicut acquiratae sunt connexae
cum prudentia. Ad hoc quod actus virtutis mora-
lis infusae praesupponit & includit iudicium pru-
dentiae infusae, sicut actus virtutis moralis acqui-
sita praesupponit & includit iudicium prudentiae
acquiratae: constat autem quod sicut iudicium pru-
dentiae acquiratae praesupponit rectum affectum
circa bonum morale, quod est finis actuum mo-
ralium, sic iudicium prudentiae infusae praesuppo-
nit rectum effectum circa Deum finem superna-
turalem, qui est objectum charitatis: Ergo actus
virtutis moralis infusae est propter motum cha-
ritatis, & includit aut supponit necessario ejus
imperium.

Ex quo patet responsio ad secundam confir-
ma-

Bb

ma-